



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. De Conivgio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

mors tua ò mors. Quæ septentia ueteri Versu expressa est.

Mors mortis morti mortem mors morte redemit.

Discernantur autem Mors Animæ & Corporis. Animæ mors sunt horreni cruciatus, & pœnæ conscientie, qui sensum iræ Dei aduersus nostra peccata inuitabiliter consequuntur. In renatis anima in discessu, habens iam initia sanctificationis, prorsus liberatur à peccato, sicut Paulus dicit, Corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uitæ est propter iusticiam.

Corporis mors est putrefactio & consumptio corporis. Hæc etiam per Christum tollitur, qui inquit, Non mortua est puella sed dormit. Vt enim in somno reficiuntur omnes uires, sic mors corporis requies est, in qua reficitur corpus, ut postea fiat glorificatum & immortale. Ita Methodius Mortem definit, quod sit φαρμακὸν ἡ καὶ ἄρσις τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, hoc est, saluberrimum pharmacum, quo anima & corpus ab omni peccato & labi purgantur.

III.

DE CONIUGIO.

Toti Ecclesie necessaria est doctrina de Coniugio, cuius prima institutio, & uera, integra, ac erudita definitio in hoc loco traditur. Quæ usitate huius uerbis in harum regionum Scholis recitari solet.

CONIUGIO

CONIUGIVM est indissolubilis coniunctio unius maris & unius feminae, quae legitimè coniungi possunt, instituta diuinitus, ut agnoscamus **DEVM** esse mentem castam, & in castitate ei seruiamus, & hoc modo propagato genere humano, colligatur aeterna Ecclesia Deo.

CAUSA EFFICIENS seu author foederis conjugalis est, Tota diuinitas, amans castitatem, & sanciens hunc ordinem generationis, & seuerissimè puniens omnes uiolantes hunc ordinem. Diligenter igitur haec particula in textu cōsideretur, **DIXIT DOMINVS**, Hoc est, admiranda sapientia & grauißima deliberatione sanciuit & decretum fecit, quod uult firmum & immotum esse, ut homo in consuetudine conjugali uiuat, & hoc ordine propagationem speciei adiuuet, & uitet omnes commixtiones cum hoc ordine pugnantes. Cum autem Deus ipse dixerit & legem tulerit, ut homo in coniugio legitimo caste uiuat, cogitemus quanta audacia & quantus furor sit Papae, qui Legem expressè contrariam Legi diuinæ audet ferre, Sacerdotes, Monachi, Nonnæ non uiuant in coniugio. Dicit Dominus Coniugium rem bonam & castitatem ac mundiciem esse, Dicit Papa immundiciem & scelus esse. Has uoces manifestum est à Diabolo esse ortas, ut Deum

H contu

contumelia afficiat, & magnam partem eius coetus, qui uocatur Ecclesia Dei, pollutam libidinibus in aeternum exitium precipitet.

Pertinent autem ad causam efficientem etiam SPONSALIA, Vt enim in Paradiso Euam ipse Deus ad Adamum adduxit, Sic uult deinceps parentum consensu ac uoluntate desponsationes fieri, ut dicitur, Honora patrem. 1. Corinth. 7. Qui elocat re ete facit. Item,

Νυμφόμωρα μὲν πῶς ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μοδίμων ἐξείδου ἐμὸν σκοπὸν τὰδε.

Et textus in Institutionibus Titulo X. Si filij familiarum sunt, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & ciuilibus & naturalis ratio suadet, in tantum ut iussu parentum precedere debeat. Aliunde autem integra doctrina de Sponsalibus & causis Matrimonialibus ex libris Iurisconsultorum, & libellis de Coniugio, petatur

Ad CAUSAM MATERIALEM, referri possunt duae personae, ex quibus constat legitimum coniugium, unus mas & una foemina, quae quidem legitime iungi possunt. Ideo statim in hac prima coniugij constitutione prohibentur incestae consuetudines, Relinquat homo patrem & matrem suam &c. Et postea gradus personarum de iure diuino prohibiti recitantur Leuit: 18. In recta linea prohibetur commixtio inter omnes sursum & deorsum.

In colla

In collateralibus prohibetur primus & secundus in linea inaequali. Postea diuinis additae sunt prohibitiones in proximis gradibus, ut maiore reuerentia diuinæ prohibitiones obseruentur. Discant autem Studiosi usitatam doctrinam de gradibus consanguinitatis ex communibus libellis Ethicis.

FORMA Coniugij est legitima & indissolubilis coniunctio, duarum personarum, ut clarè dicitur, Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter amore & fœdere commixtionis coniuncti. Unitas enim significat uinculum perpetuæ coniunctionis, & prohibet diuortia, quæ clarè uetat Christus Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Et Paulus 1. Corinth. 7. Præcipio autem non ego, sed Dominus, ne uxor à marito separetur, nec maritus uxorem deserat. Huc & regula pertinet. Officium coniugale esse opus iustum & à Deo conditum, ac certo ordine institutum, ideoq; Deo placere. 1. Corinth. 7. Vir debitam beneuolentiam uxori præstet. 1. Thess. 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut unusquisq; suum corpus, uni coniugi, castum & sanctum seruet.

FINES Coniugij præcipuè considerentur.

Primus est. Ut agnoscamus Deum esse mentem castam & attributione castitatis discernamus eum à Diabolis & alijs naturis immundis, Ideo enim sanxit ordinem coniugij, et seuerissimè prohibet ac pu-

H a nit

nit omnes incestas commixtiones & uagas libidines, ut castitas intelligatur. 1. Theff. 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra. In hanc sententiam extant dulcissimi uersiculi Philippi.

Castra Deus mens est, casta uult mente uocari,

Et castas pondus iussit habere preces.

Πνεῦμα ἐὼρ θεὸς αἰδῖος καθαρὸν τε καὶ ἀγνῶν
τῶν ἀγνῶν δέχετη ἰδρα μὲνα φρενῶν.

Αγναὶ καὶ ἔταξε νόμοις σεμνοῖσι γάμοιο,
τιμήσαι θεὸν οὐρ ἐν γάμῳ ἐυσεβέως.

II. Vt homo suorum studiorum ac laborum socium habeat. Est enim conditus ad societatem. Ideo dicitur in hoc loco Genesis, Non est bonum homini esse solum, faciamus ei adiutorium, quod sit coram eo.

III. Vt certa lege hominum genus conseruetur & propagetur, & ex eo colligatur aeterna Ecclesia Deo, ut dicitur, Crescite & multiplicamini. Item Plato νόμων γ. πρὸ γάμων δὲ τὰς τὰ ἐσω πρὸ μύθια, ὡς καὶ τὸ ἀγγύς φύσεως ἀντέχεσθαι τῶν παίδων παίδων καταλείπντα ἀεὶ τῶν θεῶν ὑπέρτατος ἀνδ' αὐτοῦ πρὸ δίδοναι. Hoc est, in Coniugio hæc consolatio in conspectu sit, Quod oporteat conseruari naturam humanam propagatione liberorum, ut singuli Deo alios cultores suo loco substituunt.

IIII. Vt sit remedium aduersus uagas libidines, & uitentur poene, quæ comitantur uagas libidines.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7. Vitandæ scortationis causa unusquisq; habeat uxorem suam.

V. Vt coniugium sit imago fœderis inter Christum & Ecclesiam Ephe. 5. Mystrium hoc magnum est, loquor autem in Christo & Ecclesia. Nam in pio & casto coniugio præcipuè florent ac dominantur.

1. Amor mutuus, uerus, ardens ὁδυσ. 3.

οὐ μὲν γὰρ τῶγε κρῆσορ ἐ ἀρεσορ
ἢ ὁδὸν ὁμοφρονέοντε νοήμασιρ ὀϊκορ ἔχῆτορ
ἀνὴρ ἢ δὲ γυνὴ πρὸς ἀλλήλας διυσμνέεσι
χάρματα δὲ ἐυμνέτησι.

2. Fides coniugalis, ut in mutuo amore acquiescant, nec appetant alios uel alias, Cuius fidei simulachrum Deus columbis etiam impressit. De quibus scribit Aristoteles. ὄυτε σωδύαζεδὲ θέλσοι πλείοσι, ὄυτε προαπλείπσοι πῶ κοινωρίαρ πλήρ ἔαρ χῆρορ ἢ χῆρα γῶκη. Hoc est, Columbe non copulantur pluribus, nec deserunt coniunctionem nisi alter uiduus uel uidua fiat.

3. Societas honorum & ærumnarum.

4. Generatio.

5. Defensio.

6. Ἐπιείκεια tolerans infirmitates & neuos concordie causa.

Hæ sex res, quas merito neruos atq; artus coniugij possumus nominare, etiam in filio Dei & Ecclesia simili fœdere copulatis perspicuè lucent: Quod

H 3 enim

enim Filius Dei Ecclesiam tanquam sponsam ardenter amet, id non solum testatus est adsumptione eiusdem naturæ, sed etiam morte sua, quam pro ea sustinuit. Deinde solam Ecclesiam amplectentem ipsum uerbum constanter amat, hæreticos uero & impios odit. Tertio Filius Dei sua bona, uidelicet sapientiam, iusticiam, uitam & leticiam Ecclesie communikat, & ipsius ærumnas in se deriuat. Quarto per ministerium Euangelij ex aqua & spiritu gignit Filios Dei. Quinto suam Sponsam aut defendit sine præsidij humanis, ut Osee 1. Saluabo eos non in arcu & gladio, sed in Domino Deo, Aut hostes etiam in hac uita horrendis pœnis opprimit. Sexto tolerat plurimas infirmitates & peccata piorum eaq; condonat & sepelit. Vicissim Ecclesia quoq; sponsum amat, & omnia idola fugit, ne fidem in baptismo datam uiolet, fit etiam conformis imaginis filij Dei in cruce toleranda, deniq; sua qualiacunq; bona, uidelicet celebrationem & gratiarum actionem cum Deo communicat.

PUGNANTIA sunt.

I. Vituperationes & prohibitiones Coniugij & sexus muliebris, ut Marcionis, Manichæi, Encraticorum, Papistarum, Hipponactis, cuius duo uersiculi citantur.

Δὺ ἡμέραι γυναικὸς εἰσὶν ἡδίσται
Ὅταν γαμήτης καὶ κφέρῃ τὴν κνήμην.

CIII

Cum coniuge sunt duo dies suauissimi

Cum ducitur, rursusq; fertur mortua.

Item Mulier est necessarium malum.

Ἀνὴρ ὁρᾷ τὸ τῆμ' ἀναγκαῖον δ' ὁμῶς.

Contra tales prophanas sententias teneantur dicta diuina. Ebra. 13. Honorabile coniugium in omnibus & thorus immaculatus. 1. Timoth. 4. Prohibitiones coniugij uocantur doctrinae Demoniorum. 1. Timoth. 2. Saluabitur mulier per filiorum generationem, si manserit in fide. Iohan. 2. Christus ipse interest nuptijs, & eas ornat amplissimo munere, uidelicet sex amphoris uini. Genes. 2. Deus ipse instituit coniugium.

II. Vagæ libidines & scortationes, de quibus considerentur exempla poenarum, Diluuium, conflagratio Sodoma, Ciues Sichem trucidati, Tribus Benjamin deleta, Euersio Troia, Reges Romæ expulsi, Pugna Leuſtrica &c. Et dicta 1. Cor. 6. Fornicatores, Adulteri, non possidebunt regnum Dei. Ephes. 5. Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes. Ebra. 12. Sectamini sanctificationem, sine qua nemo uidebit Deum.

III. Diuortia quæ prohibentur hac uoce Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet.

IIII. Immundus coelibatus.

TEXTVS.

Dixit Dominus.) Id est, sanciuit, decreuit,

H 4 6

et hoc decretum patefecit, et uult ratum ac firmum esse.

Non est bonum.) Scilicet speciei. Deinde etiam singulis indiuiduis, ut adiutorium habeant. Effi autem Ethnici dixerunt Vxorem esse ἑμπαδὸν τοῦ φιλοσοφῆν, tamen Spiritus sanctus Βονδὸς appellationem ei tribuit: et honorem in lapsu Adami amissum Christus restituit.

Simile ei כנעגידו Cenegido.) quod sit coram eo et penes eum, ut ei obsequatur et ministret. Literam Caph scribunt hoc loco non esse similitudinis notam, sed confirmationis et certitudinis.

Omne quod uocauit Adam animæ uiuentis, ipsum est nomen eius.) Hoc est, nomen quod Adam indidit singulis animantibus, id est nomen singularum. Illustre autem signum excellentiæ ingenij et summi sapientiæ in Adamo est, quod nomina omnibus rebus imposuit, οἶμα μείζωτινα δ'ὡς μαρτεῖνα ἢ ἀνδρωπειαρ, τὴν θεμελίω τὰ πρῶτα οἶματα τοῖς πρῶτοις.

Immisit soporem.) תרדמה Thardemah, sopor, somnus fortis, intensus. Ut autem ex Adam dormiente sumitur costa, ex qua edificatur Eua, Sic ex corpore Christi obdormiescente in cruce, et morte, sumitur Ecclesia, quæ redempta est per mortem ipsius.

Vnam de costis eius.) צלע Zela costa. Et quia costæ sunt in utroque latere animalis dextro uel dextro

delicet & sinistro, latus cuiuslibet rei appellatur hoc nomine. Sunt autem nunc in utroq; latere uiri & mulieris costæ duodecim. Ideo antea uerisimile est in Adamo tredecim iuga costarum fuisse, & postea unum exemptum fuisse, ex quo Eua edificata est.

Aedificauit costam in mulierem.) Lyra ad formam corporis accommodat, ut in edificijs fastigium est angustius, fundamentum amplius & firmitus, sic fœminæ podicem habent latiore, pectus angustius, Debent enim esse ὄνισποι, sedere domi. Viri habent ampla pectora, id est, debent ualere consilio & sustinere onus gubernationis. Sicut mulieres ideo mammæ in pectore habent, quia non solum nutrimentum, ut cætera animantia, sed etiam sopylû com municant.

Ideo autem ex latere uiri sumta est mulier, non ex capite uel pedibus, ut significaretur eam esse sociam uiri, non dominam uel ancillam. Dist. 18. lib. 2. Sententiarum.

Adduxit eam ad Adam.) Sponsalia in Paradiso.

Hoc nunc os.) Id est, facta est ex ossibus & carne mea. Consideretur autem sapientia Adam, statim ex primo aspectu intelligentis opus diuinum, & agnoscentis creaturam sibi cognatam.

Virago.) ἄνθρωπος uira, ἀνδρῶς, ut Aquila uertit nona uoce.

H s Relin-

Relinquet Homo Patrem & matrem.)

Non precipit ἀσέπυιαι, ut aquile pellunt pullos, sed primum prohibet in castas consuetudines cum parentibus, sicut Thargum seu Paraphrasis Onkeli Chaldaica uertit: Relinquet homo lectum patris sui & matris suae, & adglutinabitur uxori suae.

Deinde etiam ad conuictum & consuetudinem coniugalem transferatur. Vxor debet esse sociā uitae & omnium bonorum ac erumnarum Mariti, sequatur igitur maritum, cum necesse est urgente uocatione, aut alia honesta causa, alio migrare, ut Sara sequitur Abraham, Rebecca Isaac, Rachel & Lia relicto patre Laban sequuntur Iacob, & caetera.

Penelope, cum pater Icarius peteret, ut apud se Lacedaemone maneret, nec maritum Ulysssem in Italia sequeretur, & Ulysses tandem commotus iubere eam uel uolentem sequi, uel apud patrem manere, ipsa nihil respondit, sed demisso & obuoluto uultu sedit, cumq; Icarius intelligeret, quod uellet cum Ulysse abire, demisit eam, & templum pudori dedicauit. Historiam recitat Fausanias in Laconicis.

Erunt duo in carnem unam.

Propria & natua huius dicti sententia est, non solum quod natura hominum ita condita sit, ut ex commixtione maris & foeminae genus humanum propagat

propagetur, sed etiã leges coniunctionis conjugalis sancit, et modũ generationis certa lege ordinat, prohibet uagas libidines, & precipit perpetuam & indissolubilem coniunctionem, ut Christus ipse enarrat Matth. 19. Quos Deus coniunxit homo non separet. Transfert autem Paulus 1. Corinth. 6. hoc dictum Genesis ad coniugium spirituale filij Dei & Ecclesie, & docet eos qui uagentur libidimibus non amplius esse membra filij Dei, sed membra scortorum & organa Diaboli.

NOMINA PROPRIA secundi Capitis.

Eden עֵדֶן Voluptas.

Phison פִּישוֹן à פִּישׁ creuit, ab incremento aquarum.

Euilat הוּיֵלַת Hauila partus, parturiens à הוּל.

Geon גִּיחוֹן Gihon, uel à גַח extraxit, uel à גִּחוֹן pectus.

Tygris.) הַדְּקֵל Hidekel acuta leuitas à ueloci cursu. Sic nominatur Tygris Dan. 10.

Euphrates.) פְּרַת Phrat fructificans.

CAPVT